



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

§. 8. Utrùm Augustinus dixerit, tellurem non esse rotundam, nullosque dari
Antipodas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

necessariam ad valorem Sacramenti, per quam intendit facere, quod facit Ecclesia, sed excludente rem, & effectum Sacramenti, nempe gratiam sanctificantem. Quare cum ex dictis contra Vasquium intelligi non possit Augustinus de fallaciâ, & simulatione excludente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quam Synodi posteriores statuerunt, necessariam esse ad valorem Sacramenti, de fallaciâ, & simulatione excludente intentionem, seu credulitatem, & existimationem de re, & effectum Sacramenti accipiendus est. Hinc Augustinus ad valorem Sacramenti requirit, ut qui illud fallaciter accipiunt, in Ecclesiâ tamen accipiant &c. Et antè ait: *Utrum fallens sicut in Ecclesiâ, vel in eâ, quæ putatur Ecclesiâ.* Qui enim in Ecclesiâ petit baptismum, vult sanè exteriori in se fieri, quod facit Ecclesiâ, licet de effectu gratiæ nihil credat. Idem Augustinus lib. 1. de Bapt. cap. 12. cum dixisset Simoni Mago in baptismo dimissa fuisse peccata, quærit: *Quid si ad ipsum baptismum fictus accessit?* hoc est non habens fidem, vel intentionem de effectu baptismi, sed animo simulato, atque fallaci. Addit: *Quæro, si postea fictionem suam corde confuso, & vero dolore fateretur, denuò baptizandus iudicaretur? Quod si est dementissimum dicere &c.* Ex quibus patet, per fictionem illam excludi intentionem de re, & effectu baptismi, non verò intentionem faciendi, quod facit Ecclesiâ; si enim hoc secundo modo intelligenda esset, quomodò esset dementissimum dicere, illum esse denuò baptizandum, cum ex Tridentino illud Ecclesiâ modò doceat? Præterea ibi opponit fallentem in Ecclesiâ jocanti in mimo in suscipiendo baptismo. Quærit enim an teneat baptismus peractus cum simulatione, *utrum fallentis sicut in Ecclesiâ, vel in eâ, quæ putatur Ecclesiâ, an jocantis, sicut in mimo.* At fallens in Ecclesiâ, & jocans in mimo in hoc conveniunt, quòd uterque non habet fidem de effectu baptismi, quia neuter habet intentionem de sanctificatione animæ. At differunt in hoc, quòd fallens in Ecclesiâ serio intendit verè facere, quod spectat externam actionem, quod facit Ecclesiâ, ut & ipse censeatur esse Christianus. At jocans in mimo vult tantum repræsentare per ludum, quod facit Ecclesiâ, quod non est velle serio facere, quod facit Ecclesiâ, sed per ludum velle irridere, quod facit Ecclesiâ.

Verum quid ad tertiam illam difficultatem respondit Augustinus: *Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre, & mimicè, & joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur?* Respondet rem satis dubiam esse, & ut certa definitio in Synodo statueretur, divinum auxilium à Patribus implorandum. Et quidem Sanctum Patrem de aliquo dubitasse, quod modò extrâ dubium ponitur, necessariò dicendum est. Quando enim ait mimicè, & ludicre collatum baptismum: vel mimicè, & ludicre ita intelligebat, ut procul indè esset non solum intentio de effectu Sacramenti, verum etiam intentio faciendi, quod facit Ecclesiâ; vel ita, ut hæc secunda intentio minimè excluderetur. Si de hoc secundo dubitavit, jam modò constat, satis esse hanc intentionem faciendi, quod facit Ecclesiâ, ad valorem baptismi. Si de primo dubius fuit: Item certum modò est inter Catholicos, baptismum exclusâ qualibet intentione non esse validum. Profectò ex verbis Augustini patet, omnem, & quæcumque tunc intentionem excludi, ait enim, *sed totum ludicre, & mimicè, & joculariter ageretur.* Siquidem si adesset intentio serio faciendi, quod facit Ecclesiâ, jam non totum, hoc est omni ex

parte joculariter, & ludicre ageretur. Quis autem hanc dubitationem Augustino vitio vertat, nisi Moraines parùm æquus Augustino scriptor, qui eas Sancto Doctore sententias affricat, quarum oppositas sinè dubio idem se tenere pronunciat? Jure autem Augustinus judicium suspendit eâ præsertim tempestate, qua ob rebaptizationem Donatistarum, quæcumque iteratio baptismi per ludum dati asserta fuisset, fideles minus rerum periti, ac simplices longâ viâ ab Schismaticis rebaptizantibus in errorem trahi poterant, cui periculo prudenter Augustinus cavet. Quod verò in votis habuit, ut in plenariâ Synodo res definitur, jam definita est in Concilio Florentino in decreto fidei post ultimam Sessionem, & in Tridentino Sess. 7. can. 11. dum intentionis ministri decernitur requiri ad valorem Sacramentorum. Ita Augustinus caput illud 53. concluderat: *Quamò magis ergo nunc sinè præjudicio diligentioris inquisitionis, vel majoris auctoritatis illud dixisse accipiendus sum.* Quare suâ illâ suspensione sententiæ nullum præjudicium interre voluit diligentiori inquisitioni, quæ de intentionis necessitate in utroque Oecumenico Concilio summa diligentia à sapientissimis Patribus adhibita est, aut majori auctoritati utriusque Synodi necessitatem intentionis citrà dubium ad valorem Sacramentis definitis. Neque hinc sibi plaudant Heterodoxi, quorum Princeps est Kemaitius, suum esse Augustinum mentientes, dum necessariam intentionem inficiantur. Nam planè contrâ ipsos est. Ille enim dubitavit, num sinè intentione esset validus baptismus, at illi validum esse audacter, & citrà ullam dubitationem pronunciant. Augustinus dixit, nolle se in eâ progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cepta, nullo plenario Concilio terminata sunt. At cum in uno, & altero Concilio veritas illa Augustini tempore occulta, postea inelauerit, nihil eos Augustini dubitatio juvat, sed ubi ille aje-dat, *dicturos sententias, me quid jam exploratum, & cognitum afferre: humiliter expectarem,* debent ipsi Augustini verba inaudientes à duplici Synodo pronunciatam sententiam sequi. Mirentur verò Recentiores Augustini ingenium, qui idèò dubitavit de necessitate intentionis, quia illam aliquo argumento suaderi videbat, at quia nullius Concilii auctoritate decreta erat, ejusdem modestiam laudent, qui de incertis certam ferre sententiam recusavit. Ita ex illâ dubitatione, ex quâ Morainius Augustinum arguit, idem nobis quàm maximè commendandus venit.

S. VIII.

Utrum Augustinus dixerit tellurem non esse rotundam, nullosque dari Antipodas?

HActenus errores, quos Augustino objecit Morainius, à Sancti Patris libris propulsumus. Adamus nobis modò refellendus est, qui uti cæteris Recentioribus eruditione inferior est, ita universos in censurâ adversus Augustinum ferendâ facillè superavit. Hic quosdam errores de Augustino publicat, quos Moraines etiam opposuit, à quibus procul fuisset Sanctum Doctorem ostendimus; addit verò dixisse insuper Augustinum: *Terram non esse rotundam, nullosque dari Antipodas.* Pag. 585. cap. 3. Eadem fronte, quâ finxit, Augustinum negasse animam esse spiritualem, hic eundem Sanctum Doctorem terræ rotunditatem ignorasse comminiscitur. Sed illi, qui absque ullius textus appellatione de Augustino,

F ut

ut libet, ut lubet, quælibet affirmare sibi licitum putavit, satis facile fuit talia portentosa Hipponensi Præfati adscribere. Sanè Augustinus lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 12. terram rotundam fatetur: *Cum enim, inquit, totam terram adhuc aqua tegebat, nihil impediebat, ut aquosa, & gibbosa moles ex una parte faceret diem lucis præsentia, ex alia noctem lucis absentia.* Et lib. 16. de Civ. Dei cap. 9. ubi de Antipodis differit: *Nec attendunt, inquit, utriusque figura conglobata, & rotunda mundus esse credatur, sive aliqua ratione monstraretur, non tamen esse consequens, ut etiam ab illa parte ex aquarum congerie nuda sit terra.* Nullus igitur in Augustino legitur de telluris rotunditate error, sed ea sunt inania Adami objecta.

Verùm negasse Augustinum Antipodas, non ibo inficias, sed vulgarem hominum sententiam secutus est. Testatur Plinius, magnam litem de Antipodis fuisse inter literarum profectores, & vulgus. At Augustinus haud vulgari argumento in eam opinionem ductus est, nempe quòd periculum esset, ne qui nobis adversa vestigia premunt, in cælum ruerent; sed tum ex sacrâ, tum ex profanâ historiâ rationes consideravit, quæ sapientissimos quosque in eam sententiam traxere. Ligur ille Argonauta novi Orbis inventor non ab uno Principe circulator habitus est, cum se ad Antipodas classem ducturum polliceretur, nec ut arbitror, Arragoniæ Rex integram magno promissori fidem præstitit, sed quæ est hominum infatiata cupido, pauca navigia in spem Orbis naufragis objectari, in lueri loco reposuit. Macrobius lib. 2. de Somnio Scipionis cap. 9. solâ conjecturâ Antipodas credi dixit in oppositâ Orbis parte, quòd propter similem temperiem similiter incolitur, sed à quibus non licuit unquam nobis, nec licet agnoscere. Et quidem Aristoteles, Plinius, Ptolomæus, cæterique Historici, Cosmographi, ac Philosophi veteres, quibus Scholastici Parisienses ad stipulati sunt, tellurem non ubique habitabilem posuere, sed tantum sub Zonis temperatis, cum tamen etiam sub torridâ, ac utraque frigidâ terram incolî certum sit. Quid quod? Zacharias Papa Epist. 10. ad Bonifacium scriptâ anno 748. *perversam, & inquam doctrinam vocat asserentem, quòd alius mundus, & alii homines sub terrâ sint.* Et ille quidem vulgarem sententiam secutus est. Nos quidem ex nostrorum navigationibus ista didicimus. At uti Sapientibus illis majoribus nostris, quibus literas omnes acceptas serimus, vitio non datur, quòd tellurem ex majori parte inhabitabilem scripserint, neque reprehendus venit Augustinus, si eandem terram ex oppositâ parte habitari negaverit. Difficile illi videbatur, potuisse homines ab uno Adam propagatos in oppositam terrâ partem Oceani immensitate trajectâ semel navigasse, iterumque post diluvium illuc advectos fuisse, nullamque huius rei adeò memorabilis mentionem, vel in sacris, vel in profanis literis fieri. Profectò hucusque necitur, quomodo ex Europâ illuc bis homines pervenerint. Itaque cum ponentes Antipodas conjecturâ tantum, quæ levem prorsus, ac debilem certitudinem parit, ad id dicendum moverentur, & Augustinus Antipodas negaverit omnium historicorum fide, ac antiquissimâ Patrum traditione suffultus, potiori iure ille Antipodas sustulit, quàm alii adfluxere. Verùm non adeò opinio negans Antipodas Augustino inhaesit, quin aliquando admiserit, libro enim de decem categoriis cap. 10. ait: *Terra, quæ videtur in mediò ubique subtrus est, & Antipodes nostri, quæ nobis dicantur figere adversa vestigia, cælum*

super se habent. Pater Macedo vir in Augustini lectione versatissimus in volumine, quod Concentum Euchologicum inscripsit, in commentariis ad Orationem in festo Sancti Marci videtur velle insinuare, Americam Augustino innotuisse, dum non uno loco quatuor esse partes terræ affirmat, *mirari libet, inquit, Augustinum quatuor Orbis partes tam perspicuè nominare, quasi suâ jam ætate America detecta esset.* Sanctus Doctor lib. 16. de Civ. Dei cap. 9. opinionem Antipodas affirmantem veluti absurdam rejecit: *Nimisque, inquit, absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immensitate trajectâ navigare, ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Quatuor partes dixit Augustinus, nempe Orientem, Occidentem, Meridiem, & Aquilonem. Ita tract. 118. in Joannem: *Propter quod alibi dicit, mensurum se Angulos suos, ut colligant Electos eius à quatuor ventis, quòd quid est nisi à quatuor partibus Mundi, Oriente, Occidente, Aquilone, & Meridie? At hæ partes in veteri Orbe probè censebantur esse, etiam si America ignoraretur.*

§. IX.

An sententia Sancti Augustini de simultaneâ rerum creatione sit erronea?

Hic etiam Recentiorum querelâ, imò censurâ, quibus insignem Sancti Doctoris interpretationem in cap. 1. Geneseos excipiunt, resellendâ sunt. Magnum illud ingeniorum monstrum, si usquam aliàs in explicando Hexamerone admirabilem subtilitatem præ se tulit, sed quantum indè laudis apud veteres sibi comparavit, tantum reprehensionis apud Recentiores sibi contraxit, aut plus etiam fortasse. Augustinus, quòd videbat sex priores dies, quæ Moyses mundum à Deo creatum scribit, si literaliter accipiuntur, gravissimis difficultatibus subiecti, quas ipsemet in libris de Genesi ad literam proponit, subtilem prorsus, ac se dignam sententiam excogitavit, nempe dies illos intelligendos esse mysticè juxta cognitionem Angelicam de rebus in Deo, & in proprio genere, & juxta ordinem rerum simul à Deo creaturâ diertum etiam ordinem in Angelorum mente designavit. Hanc Sancti Patris explicationem de simultaneâ rerum creatione mysticè in sex illos dies sic divisam paucis refert Sanctus Thomas 1. p. q. 74. art. 2. At, quæ fuit Augustini modestia, hoc à se excogitatum interpretamentum ita docuit, ut meliori explanationi nullum se præjudicium asserere velle protestatus sit: *Quisquis ergo, inquit, non eam, quam pro nostro modulo vel indagare, vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetiâ figuratè, sed in hac creaturarum conditione propriè, melius que possit intelligi, querat, & divinitus aditus inveniat. Fieri enim potest, ut etiam ego aliam his Divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam; neque tamen ita banc confirmo, ut aliam, quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam.* His se munitum voluit adversus malevolorum Lectorum censuras lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 28. Hæc sola Augustini verba solida apologiæ loco habenda essent, nec quicquam rursus addendum foret pro ejusdem interpretationis defensione. Cæterum ex nostris Scripturibus Magister Emanuel Cerda Lusitanus Publicus in Academia Conimbricensi Theologiæ Professor in suis quodlibetis Theologicis acerrimè contrâ

Recent-